

ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.

PRO - CANCELLARIVS
D. CHRISTIANVS GOTTLIEB
LVDWIG

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. FACVLT. MEDICAE
DECANVS ACADEM. DECENVIR COLLEGIOR. MAI. PRINCIP.
ET BEAT. MAR. VIRG. COLLEGA ACADEMIAE
REG. BORVSS. SCIENT. ET SOC. BOTAN.
FLORENT. SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XVI. DECEMBRIS A. O. R. MDCCLXIII.

INDICIT

ET

DE NIMIIS HAEMORRHAGIIS CAVSSA
DEBILITATIS IN MORBIS

DISSERIT.

Pathol. spec.

446,96

Morbificus 1435



Ex sanguine tanquam vniuerso corporis humore in se et excretionibus, per varia colatoria praestitis, aliorum corporis fluidorum riuuli deducuntur, apta viuendi ratione ita dirigendi, vt corpori exinde commodum accedat. Nuper itaque ostendimus, nimias humorum excretiones optimam partem fluidorum, nutritioni solidorum destinatorum, subtrahere, ideoque corporis vires vehementer infringere, et debilitatis in morbis non vltimam causam esse. Quoniam autem amplissimae huius doctrinae omnem ambitum emetiri haud potuimus, humoris genitalis in viris, et lactis materni nimium dispendium vt debilitatis causas prae reliquis disquisuimus. Cognouimus tamen, sanguinis quoque rubicundi nimiam effusionem, vel spontaneam, vel violentam, nostram exigere attentionem, cum primarius hic corporis humani humor, si nimium subtrahatur, praestantissimas fluidorum ad intimam nutritionem deriuandas partes, et in apta elaboratione impediatur, et prorsus tollatur.

A 2

Si

IV

Si nexum omnium actionum corporis humani, quae sum-
tum cibum et potum mutant, quo tandem in conseruationem
huius corporis intimamque eius nutritionem dirigatur, quae
quidem actiones a medicis strictiori sensu naturales dicuntur,
accurate perpendimus, masticatio, et omnis per canalem alimen-
torum et vias chyli praestita digestio, continuam quidem nu-
trimenti animalis elaborationem efficit. Dum autem interea se
et excretiones variorum humorum quasdam particulas noxias
eliminant, alias in varios vsus digestionis et elaborationis conti-
nuae impendunt, tandem nutritio vltima solidarum partium,
per subtilissimum et gelatinosum humorem praestita, magnum
hoc negotium absoluit. Neque vero haec apta humorum fe-
cretio, multo minus intima nutritio bene succedere posset, nisi
sanguinis massa ipsa, accessu chyli aucta, continuata et repe-
tita circulatione ad reliquas elaborationes perficiendas dispo-
neretur. Quemadmodum igitur vltimae corporis functiones
male perficiuntur, si in primis vitium commissum sit, sic
multo magis euidentis damnum emergit, si sanguinis elabora-
tio non, vt decet, succedit: vltimae enim elaborationes
prorsus turbantur, et humores reliqui vel deficient, vel male
miscentur, et ita solidis minimis nutriendis vigor elasticus
et vitalis, qui verum sanitatis constantis indicium est, non
tribuitur.

Sanguinis elaboratio primario quidem in artificiosissima
pulmonum fabrica perficitur; eandem tamen circulatio vniuersa
per corpus, imprimis per musculos, motu moderato agitato,
iuuat. Effectus huius elaborationis est praeparatio cruoris, ea
scilicet globulorum sanguinis formatio, qua omnes particulae
mixtae sanguinem constituentes, aquosae, oleosae, salinae et
terrestres, et suo modo resoluuntur, et iterum vniuntur, atque
ita post iteratam et aequalem coniunctionem verum aggrega-
tum humorem, sanguinem scilicet rubicundum, efficiunt. Effi-
citur

citur ita particularum sanguinis aggregatarum maxima similitudo, quae proinde, cum per observationes microscopicas ut sphaerulae appareant, et haec ipsa figura ex natura et proprietatibus fluidorum definiatur, globuli sanguinis dicuntur. In homine igitur sano post plenariam chyli cum sanguine remixtionem, repetita circulatione peractam, exquisitissima elaboratio cognoscitur, et summam praestantiam in reliquas functiones diffundit.

Sanguinis autem rubicundi densitas in animalibus perfectioris indolis, in hominibus scilicet, longe maior est, quam observationes microscopicae, in ranis et piscibus institutae, ostendunt. Circulationis enim vigor non tenuem adeo et ferofum, sed maxime condensatum sanguinem efficit, qui etiam ad maiorem partium firmitatem et constantius gluten praeparandum exigitur. Minime tamen eadem omnibus hominibus sanis est sanguinis densitas, sed potius pro diuersa hominum constitutione et temperamento varia, et ad solida strictiora et laxiora relatiua, deprehenditur, nonnunquam etiam ad morbos ipsos ex densitate et tenuitate humorum oriundos disponit. Cum vera enim proportione solidorum et fluidorum, inde etiam cum genuina sanguinis densitate diu subsistit sanitas, et recessus ad atrabiliariam densitatem, pituitosam tenacitatem et ferofam tenuitatem, morbosam tandem indolem sanguinis aggregati infert, qua praesente, omnes reliquae functiones corporis euidenter laeduntur, cum mixtio in globulis purpureis minus proportionata, et ideo deprauata, in omnia vasa ex sanguiferis ducta et ulterius continuata deriuetur.

Moderata, sufficiens tamen alimentorum copia, in corpore bene exercitato sumtorum, et optime digeritur, et chylum exhibet, qui, cum bonae notae sit, et continua circulatione sanguinis elaboratur, cruorem satis densum efficit, ex quo in continuatis corporis functionibus humores boni elaborantur, qui praestantissima mixtione et proportione conspicui, vim elasti-

VI

cam et vitalem corporis sustinent. Licet vero in statu morbofo et contrario admixtionem depravatam magis respicere deberemus: tamen, cum illa ex defectu sanguinis boni haud raro oriatur, nos quidem in hoc libello debilitatem, in morbis potissimum oriundam, et sanationem impredientem, ex penuria sanguinis rubicundi deducamus, quae per nimias haemorrhagias inducitur, cum ea ratione effectus morbofi facilius cognoscantur.

Cum autem hanc rem ex comparatione corporis sani et aegri diiudicare suscipimus, tot quidem homines, nimis sanguinis effusionibus debilitati, animo nostro obuersantur, vt dubii haereamus, quid prae reliquis a nobis proponendum sit. Videmus adolescentes haemorrhagia narium, foeminas menstruo fluxu, viros haemorrhoidibus, varios aegros haemoptoe, vel vomitu cruento, aliisque excretionibus sanguinis minus confuetis debilitatos; videmus interdum graui vulnere laesos sanguinem copiose effundentes. Quas quidem haemorrhagiarum differentias, si ex causis suis diiudicare, et effectus tristes inde oriundos perpendere vellemus, amplam nimis et huic instituto non accommodatam tractationem inciperemus. A re tamen alienum non erit, haemorrhagiam viribus insidiosam nonnullis exemplis declarare.

Adolescentes bene nutriti, et in valida corporis exercitatione sanguinem copiosum et densum praeparantes, non raro anxietatibus praecordiorum, palpitationibus cordis, aliisque incommodis vexantur, in quibus tamen non raro haemorrhagia narium subleuantur, vt, nimia sanguinis copia expulsa, circulus humorum iterum ex voto succedat. Quod si tamen spontanea haec haemorrhagia crebrius recurrat et nimia sit, corporis vigor cum ea consistere nequit. Incidit vt plurimum haec sanguinis euacuatio in ea tempora, vbi celere corporis incrementum peccus satis ampliari non patitur. Hinc pulmones in cauitate thoracis nimis depressa non satis euolui possunt, sed ex nimio
sanguini-

fanguinis impulsu eorum vasa dilacerantur, et haemoptoe haud raro exitiosa sequitur.

Ipsa vero fanguinis iactura duplici potissimum ratione corpus eneruat, optimus enim succus nutritius haud elaborari et suo modo apponi potest, et sanguis ipse, tenuis nimis redditus, facile iterum erumpit et morbum continuo auget. Cum enim robur solidorum fanguinis praeparationi inferuiat, et illud quoque per hos succos sustineatur, perennis hic functionum nexus omnino turbatur, et languor et marcor omnem corporis vigorem supprimit. Hanc vero rem in debilitate, ex celeri corporis incremento pendente, alia occasione iam fatis declarauimus: hinc ad tenuitatem fanguinis successiue inductam praecipue respicimus. Haemorrhagia narium frequentior, quae olim ex abundantia fanguinis prouenerat, plethora vera sublata, in multis facile subsistit, et nouo vigori colligendo tempus conceditur; in nonnullis tamen affluens succus nutritius, non fatis elaboratus, vasa glutine in fibras deducto non nutrire potest, quae, cum laxa sint, copia tenuis fanguinis tamen ita distenduntur, vt sanguis iterum erumpat, vel potius effluat. Hi, cum plethorici a debilitate sint, venaesectione non iuuantur, sed magis laeduntur, et ita in flore aetatis saepe ad tabem et atrophiam, et reliqua cum his coniuncta symptomata, ducti eneruantur, vt prouida medici cura eos seruare nequeat: nonnullis tamen vigor aetatis sanitatis perennitatem promittere videtur. Vidimus enim haud paucos, qui post fanguinis effusiones, ex naribus, immo etiam ex pectore prouenientes, tantam tamen incrementi praestantiam conseruarent, per quam corporis proceritatem et vigorem sustinere possent. Ex continuatis autem corporis mutationibus cognouimus, et in his vigorem corporis intimum, qui mediam aetatem ornat, nunquam remansisse, imbecillitatis potius signa e variis actionibus languide peractis, et e sensu molesto, a leuissimis saepe causis morboris inducto, se prodidisse.

Quando

VIII

Quando itaque haec morborum initia percipiunt, et ipsi aegri, et nonnunquam medici, iis opem ferentes, ad debilitatem, a iactura boni sanguinis crescenti corpori illatam, non respiciunt, sed semper plethoram ut causam principem commemorant, hinc crebra venae sectione malum auertere intendunt; sed breue est solatium, quod ex ea percipiunt, nam paulo post recrudescit morbus, et languores tandem pertinaciores fiunt, nutritio debita corporis nec praestari, nec roborantibus et analepticis adiuuari potest, sed tabidus status cum lenta febre finem morborum et mortem inducit. Prudentiores vero plethoram a debilitate ortam, ut spuriam a vera, distinguunt, et accurato vitae regimine vires moderatas colligunt, exercitatione corporis conuenienti illas conseruant, et quamquam imbecillitatis indicia nunquam vere superare possunt, illa tamen ita coercent, ut vitam sibi et aliis utilem per multos annos trahere, et grauissimum morborum ingressum auertere queant.

Menstrui fluxus nimia incommoda et tristes effectus nunc quoque a nobis considerari merentur. In adolescente aetate profusio sanguinis per vterum raro obseruatur, cum incrementum corporis definitam sanguinis copiam exigit; quod si vero in nonnullis foeminis bene nutritis et plethoricis eueniat, ex iis, quae nunc proposuimus, diiudicari potest. Quando vero mensstruus fluxus nimius in media aetate, praecipue cum puerperio coniunctus, hanc debilitatem efficit, maxima cum attentione a medico obseruandus est, quo causae statim a principio coerceantur: si enim his neglectis ille crebrius recurrit, et quasi habitualis fit, successiuam debilitatem inducit. Etsi enim ut morbus, per interualla recurrens, aliquam interdum refectionem admittit, ad veram instaurationem virium tamen teneriores illae foemellae non perueniunt, sed sensim paulatimque eneruantur, et a morbis variis leuioribus, qui sexui sequiori haud raro accedunt, difficulter liberantur. Verum si omnes has causas et
morbos

morbos intercurrentes nunc strictius prosequi, et monita in curatione attendenda subiungere vellemus, ab instituto nostro nimis recederemus: consideremus itaque tantum illud profluuium sanguinis, quod inter quadragesimum et quinquagesimum aetatis annum, et antequam menstrua prorsus cessant, haud raro copiosius est.

Sanae foeminae, quae corpus blande nutriunt, et simul moderato corporis exercitio reficiunt, menstruum fluxum eo tempore vix incrementem, sed varia ratione, mox breuiori, mox longiori temporis interuallo experiuntur, ita tamen vt successiue et sine insigni incommodo cesset; eae vero, quae ad variam cacochymiam, inprimis ferofam, iam a longo tempore procliues sunt, praecipue, si eidem, vt saepe fieri solet, varia acrimonia iuncta sit, si ex ea corporis dispositione nutrimentum eiusdem nec bene elaboretur, nec vere assimiletur, si ideo vigor elasticus et vitalis earum infringatur, ad inordinatas et copiosissimas effusiones sanguinis disponuntur, et, cum iam languidae sint atque cachecticae, in morbosa debilitate magis magisque confirmantur, facies pallida et tumida labem hanc corporis satis prodit, et, imbecillitate vniuersi corporis inducta, non tantum ad reliquas functiones parum validae sunt, sed etiam medelam difficulter admittunt. Fluor albus, qui eo tempore haud raro ex laxitate remanet, dummodo benignus est, apta diaeta et selectis medicamentis, inprimis per balnea applicatis, interdum coercetur et prorsus tollitur, vt multae ex iis post annum quinquagesimum iuuenilis vigoris indicia praebeant, et ad viridem senectutem ducantur. Si vero fluor albus habitualis sit, et acrimoniam multam coniunctam habet, tunc, vt ipse cachexiae indicium est, sic illam quoque continuo auget, et morbosa symptomata, antea enarrata, inducit.

Haemorrhoidalis fluxus, qui saepe in viris atque etiam interdum in foeminis, inprimis catameniorum fluxu cessante,

B

se

se exferit, simili ratione diiudicandus est; ut enim in se minus ordinatum circulum sanguinis declarat, et semper morbofi quid ostendit, ita illud eo magis efficit, si profusior sit et cum euidenti virium decremento fluat. Nullum vidi, qui iuuenis haemorrhoidibus vexatus, verum vigorem virilis aetatis recuperaret, omnes vere languidam vitam trahunt, et morbofis affectionibus, inprimis spasimis, ex abdomine versus pectus vel caput etiam tendentibus, commouentur. Cum autem haec excretio sanguinea crebrius in iis oriatur, qui, quando ex media aetate ad senium progrediuntur, varias et leuiore faepe viscerum abdominalium obstructionibus laborant, ille interdum maxime salutaris est, cum, expedita post sanguinis excretionem eius circulatione in systemate venae portae, abdomen a spasimis liberetur, et functiones viscerum abdominalium iterum ex voto succedant, quorum praestantia optimam humorum nutrientium elaborationem efficit, et reliquis corporis actionibus pristinum vigorem reddit. Pauci vero sunt, qui regulari et moderato hoc haemorrhoidali fluxu sanitatem diu tueantur, alii enim, variis diaetae erroribus perturbati, impedimenta noua huic excretioni obiiciunt, et iisdem, vel peioribus etiam symptomatibus excruciantur, alii vero, nimio sanguinis profluuio ex vasis haemorrhoidalibus affecti, necessariam sanguinis plenitudinem detrahunt, et inde debilitantur. Non solum enim ex collapsu vasorum ad minus aptam elaborationem humorum ducuntur, et in marasum senilem praecipitantur, sed vasa porro relaxantur, et stases serofas efficiunt, per quas ad leucophlegmatias et hydropis varias species transeunt, lente quidem obrepentes, sed resoluentibus et roborantibus medicamentis vix praecauendas, et, si mala adoleuerint, nunquam corrigendas. Nullus certe fluxus haemorrhoidalis incommodis caret, sed aliqua semper debilitas cum eo coniuncta est, et, cum facillime turbetur, vel nimis excitetur, etiam senes, qui sine eo viuere possunt,

possunt,

possunt, ad viridem tantum ducuntur senectutem, alii vero, qui eo nonnunquam leuantur, intercurrentes haud raro morbos experiuntur, et tandem ipso fluxu ex voto progrediente semper aegrotant.

Haemoptoe, vomitus cruentus, aliaeque morbosae sanguinis effusiones, etiamsi immoderatae sunt, dummodo post primos impetus feliciter curentur, interdum sine vltiori noxa transeunt. Saepius accidit, vt huiusmodi aegris, meae curae commissis, multa vitae incommoda praedicerem, quibus tamen moderata viuendi ratione sanitas iterum confirmata est, et prognosis mea fallax visa. Non tamen negandum est, rebus etiam ex voto succedentibus, tristem ideam morbi recurrentis ex animo meo tolli non potuisse. In aliis vero multis nec dubia haec sanitatis species semper speranda est; si enim hi morbi, vt saepe euenire solet, habituales fiunt, tunc, quod crebrius insignis copia sanguinis purpurei excernitur, nullo nutrimento resarcienda, debilitates oriuntur, quae nunquam dissipari possunt. Etsi enim et lenta febris, et coniunctus tabidus et hecticus status, quae has euacuationes saepius sequuntur, regimine diaetae caute obseruato, et optimis medicamentis selectis coercetur, ad citam tamen senectutem properant, leuissimis saepe causis morborum obortis in grauissimos morbos praecipitantur, et cum in iis naturae viribus iuari nequeant, a medicamentis etiam id, quod expetunt, solatium accipere non possunt.

Exemplum praebet febris catharrhalis eorum, qui graui vel habituali haemoptoe detenti fuerunt. Serum stagnans, quod benigna etiam febre facile coquitur, et ad varia colatoria propellitur, in his magis ad spongiosum et olim laesum pulmonum viscus ducitur, asthma pulmonale, tussis sicca, et intercurrentes anxietates praecordiorum morbum trahunt, et decubitus feri acris ad pulmones augent. Si vel maxime tunc vulnus

B 2

pulmo-

XII

pulmonale non denuo rumpitur, sed bene occalluit; tamen reiectiones pituitae viscidae et acris difficulter succedunt, sanguis his motibus ad debile pulmonum viscus copiosius ducitur, nunquam tamen ita elaboratur, ut bonus et nutritius corporis succus inde parari possit. Venaesectiones, quae tunc necessariae videntur, magis eneruant, et breue solatium exhibent.

Pauca adhuc de grauius vulneratis, et nimiam inde sanguinis copiam effudentibus adiicienda sunt, cum et his defectus boni sanguinis multa incommoda adiungat. In ipso iam haemorrhagiae nimiae effectu lipothymias praecipue et synco-
pas cum pallore corporis et sudore frigido obseruamus; si vero euentus letalis non est, residuus sanguis sensim paulatim-
que ad aliquam circulationem disponitur, nutritione iterum ex voto succedente collapsus vasorum quodammodo tollitur, et licet imbecillitas diu subsistat, ad functiones tamen consue-
tas redeunt, atque, si iuuenili vigore praedita sunt corpora, ex voto conualescunt. Quod si vero vulneris grauitas et ma-
gnae partium destructiones longam suppurationem exigant, illa ut plurimum non, ut decet, succedere potest. Cum enim ab humoribus bene elaboratis in corpore affluentibus felix eius
successus pendeat, defectus sanguinis vel siccitatem et inde ma-
iorem destructionem efficit, vel loco puris tenuis sanies af-
fluit. Sed et suppuratio ipsa, si larga est, vires, quibus par-
cendum est, nimium deprimit, ut sanatio vulneris et ideo protrahatur. Accedit et tunc nouum et euidentis incommo-
quum, cum a vacuitate vasorum resorptio puris facillime fiat, duae corpora, propter imbecillitatem ad lentas febres iam pro-
cliuia, celerius ad eas disponit. Et si vel maxime aeger re-
gimine dietae exquisito et apta medendi ratione tandem fer-
uetur, et vulnus, licet tardius, tamen perfecte sanetur, con-
tinuus tamen languor subsequitur, qui vel per totam vitam vul-
neris

neris et haemorrhagiae effectus in debilitate ostendit, vel eam sanitatem sistit, quae non, nisi strictissimo diatae regimine, conseruari potest.

De nimia et intempestiua sanguinis missione hic quoque dicendum esset, sed argumenti dignitas requirit, vt accuratius perpendatur. Quare, cum hoc limites scriptionis huius longe superet, ad id nos conuertimus, cuius causa haec praemisimus. Commendandus enim est

NOBILISSIMVS ET CLARISSIMVS

D O M I N V S

GOTTLOB SIGISMVNDVS SCHNEIDER

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS.

qui, culta haecenus arte salutari magna cum industria, nunc in eo est, vt ad medicinam faciendam se conuertat, quam ob rem publicum diligentiae testimonium et summam artis nostrae lauream merito exigit. Burckartsdorfium vicus est, parum distans a Zschopauia, oppido, in districtu metallifero Saxoniae ad ripam fluiui cognominis sito, vbi Noster anno huius seculi trigesimo sexto, die nono Iunii, patre GOTTLOBIO, artem chirurgicam diligenter exercente, matre IOHANNA CHRISTIANA ex gente CLAVSIA natus est, paulo post tamen cum parentibus Zschopauiam transit. Hi optimi parentes adhuc inter viuos sunt, et ex honoribus filii fructus educationis vberrimos colligunt. Religionis et literarum initia ex HÜLSII A. M. institutione priuata hausit, postea in scholam patriam progressus, VIEBIGIVM Cantorem non tantum in humanioribus literis, sed in arte musica quoque praeceptorem habuit, in illis tamen et

B 3

Recto-

XIV

Rectoris BRAEVE RI institutione usus est. Praeparatus ita
 anno quinquagesimo secundo in celebri ludo literario Dres-
 densi, qui a cruce nomen habet, scholasticorum studiorum
 ulterius tractandorum occasionem nactus est, et a beato
 SCHOETTGENIO receptus, praeceptores habuit Viros
 Cll. GRAEFIVM, M. MEISNERVM, GEBAE-
 RVM, KOEHLERVM, Conrectorem, et KRETZSCH-
 MARVM Rectorem, quorum in se merita pia mente vene-
 ratur; et, cum etiam musicam artem ulterius perficere tenta-
 ret, a beato REINBOLDO, Directore Musices, et HO-
 MILIO, Viris in ea exercitatis, egregie instructus fuit. Ad
 nostram musarum sedem anno quinquagesimo nono accessit,
 et a Magnifico WINCKLERO non tantum in album aca-
 demiae inscriptus, sed singulari etiam benevolentia exceptus
 fuit, quem etiam in vniuersa philosophia, et speciatim in scientia
 naturali, experimentis illustrata, nec non in exercitiis logico
 practicis praeceptorem habuit, in scholis S. R. ERNESTI
 et Cl. GELLERTI doctrinas, ad humaniores literas perti-
 nentes, summa cum voluptate accepit. Mathesin puram et ap-
 plicatam M. RVDOLPHVS, iuris naturae autem princi-
 pia Consult. D. SAMMET tradiderunt. Iam variis discipli-
 nis ad medicinam praeparantibus imbutus, omnes ferme Docto-
 rum et Professorum medicinae scholas frequentavit, et ita
 scientiam suam auxit. In anatome et HVNDERTMAR-
 CKIVM et IANCKIVM, Professores, in optimo aeta-
 tis flore nuper nobis ereptos, doctores habuit, et ab hoc etiam
 in arte obstetricia instructus fuit. GEHLERVM in minera-
 logia, POERNERVM autem in chemia addiscenda duces
 sibi elegit; chemicas quoque aliasque scholas RIDIGERI fre-
 quentavit. BOSIVS eum in anatome et botanica, nec non
 in disputandi arte instruxit, examinando et disputando
 animum eius exercuit PLAZIVS. Ego vero discipulum,
 qui

qui meas scholas attente frequentauit, consiliis adiuuare nunquam intermisi; pathologiam enim, therapiam generalem, praxin clinicam, chirurgiam et medicinam forensem non tantum a me accepit, sed cognitionem librorum medicorum, introductionem ad medicinam faciendam, et doctrinas practicas, disputando et examinando, me duce coluit. POHLIO tandem, qui nostrum animo paterno excepit, maximas, vt reliquis praeceptoribus, pro acceptis beneficiis grates persoluit, ab eo enim in anatome practica, physiologia, materia medica et disputandi arte eruditus, et, cum eius hospitio frueretur, consiliis semper adiutus fuit. Studiis itaque tanta cum attentione tractatis, specimina quoque diligentiae suae varia exhibuit. Anno superiore die octauo Septembris, post examen theoreticum, prima medicinae laurea ornatus est, mense Maio huius anni libellum *de meridianis limitibus* edidit, et paulo post in lectionibus, pro licentia dictis, *de pulsu vt signo* erudite egit. Superiori mense ad examen practicum admissus, expectationi nostrae ita fatisfecit, vt, expedita ad quaestiones responsione data, dignus iudicaretur, qui ad summos in arte nostra honores admitteretur. Diem itaque ei rei diximus XVI. Decembris, quo dissertationem, in qua *Aduersaria de pulsu* proposuit, contra dissentientes defendet, Moderatore huius actus adsidente Excell. POHLIO, quo conflictu finito, ego, cui munus Pro-cancellarii ad hunc actum demandatum est, oratione solenni *sonni laudes* depraedicabo, postea discipulo, quem summo semper amore prosequutus sum, et ad medicinam cum laude faciendam idoneum iudico, viam ad summos in arte nostra honores progrediendi lubenter aperiam, eumque piis votis additis dimittam. MAGNIFICVM itaque ACADEMIAE RECTOREM, COMITES ILLUSTRISSIMOS, VTRIVSQUE REIPUBLICAE

CAE

XVI

CAE PROCERES GRAVISSIMOS, nec non
GENEROSISSIMOS atque NOBILISSIMOS
DOMINOS COMMILITONES omni, qua par est,
obseruantia, et Ordinis nostri, et Cl. Candidati, et meo nomi-
ne rogo, vt inauguralem hanc panegyrim praesentia sua splen-
didiozem reddant, et Candidato nostro et mihi faueant. Nos
vero omnes nullam praetermissuri sumus occasionem, qua
hunc in nos collatum fauorem remunerari poterimus. Dabam
Lipsiae Dom. III Aduent. d. XI. Decembris A. O. R.
MDCCLXIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

